DE

ATROPHIA HEPATIS FLAVA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVIII. M. APRILIS A. MDCCCXLVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS JANICKI

VARSOVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

B. REINHARDT, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

G. KUEMLAU, CAND. SC. NATUR.

W. POPŁAWSKI, STUD. JUR. ET CAMERAL.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, MAXIME VENERANDIS

NEC NON

AVUNCULO DILECTISSIMO

GUILELMO MALCZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CONSILIARIO MEDICO SUPERIORI REGNI POLONICI, MEDICO PRACTICO APUD VARSOVIENSES ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Quo majora anatomia pathologica capit incrementa, eo major morborum antea plane incognitorum numerus in diem prodit. Quot et quantae sunt mutationes pathologicae hepatis, quarum nemo unquam mentionem fecit, quae autem, si recentiorum scrutationibus fidem habemus, haud raro occurrunt. Huc etiam atrophiam hepatis flavam referas velim, de qua opusculum inaugurale conscribere proposui. Fateri quidem oportet, symptomata hujusce morbi inter vitam saepe adeo fallacia esse, ut diagnosis nequaquam ad evidentiam possit perduci; nihilosecius autem investigationes et observationes numerosiores atque accuratiores fortasse unum alterumve symptoma in lucem proferent, quo diagnosi major probabilitas, ne dicam evidentia, concilietur. Me ipsum observasse

casum, quo ex omnium symptomatum syndrome de atrophia hepatis flava concluderetur, breviter hic adnoto, infra enim symptomatologiam atque decursum morbi uberius exponam.

Priores aevi pathologi, quamquam atrophiae hepatis flavae disertam mentionem non fecerunt, tamen nonnulla atrophiae hepatis exempla descripserunt, quorum symptomata eam indolem prae se ferebant, ut ad flavam atrophiam facile possint referri — Petrus Frank plures apponit casus, quibus hepar ad exiguum volumen redactum, exsuccum, aridum et corii instar durum fuerit, quocum conjunctus icterus inter vitam omnibus medendi rationibus repugnaverit; ductus biliferos fuisse obliteratos, inflammationem autem non praecessisse affirmat.

Atrophia hepatis occurrere potest partialis, quibus in casibus corpora glandulosa, quae atrophiam effugerunt, non mediocrem evolutionem obtinent, tanquam granulationes consumptas sarcire velint. — (Cruveilhier). Rarissime hepatis atrophia simplex, plerumque cum aliis anomaliis consociata apparet; parenchyma ut plurimum adeo condensatum est, ut sectionis superficies speciem porosam hepatis sani minime offerat. Cruveilhier, frustrà in vasis hepatis tam arteriosis quam venosis atrophiae causam se quaesivisse, adnotat; vasorum quidem lumen, inquit, hepatis diminutioni respondet, nihil autem in iis deprehenditur, quod, diminutio-

nem primitus locum habuisse, contestetur. Partialis atrophia in universum sequitur pressionem, quam tumores, vel in ipso hepate vel in ejus vicinia orti, hoc in organon exserunt.

Priusquam symptomatologiam atrophiae hepatis flavae accuratius exponam, de criteriis ejus et anatomicis et physiologicis breviter disseram. Mutationes vel *constantes* sunt systematum aut organorum singularium, vel *accidentales* anomaliae organicae, quibus cum morbo primario directum commercium non intercedit. Summi momenti sanguinis mutatio est et alterationes inde prodeuntes, nempe voluminis et texturae hepatis mutatio, hyperaemica intumescentia lienis cum texturae alienatione, emollitio cerebri hydrocephalica, glandularum mesaraicarum tumor et relaxatio, liquescentia peculiaris tunicarum mucosarum.

Sanguis minus fibrinae et plasticitatis habet, itaque liquidus et dissolutus apparet, color ejus vel atrofuscus, vel sordido niger, accessu aëris atmosphaerici parum aut nihil mutatur. Quodsi sanguis microscopio submittitur, pauciora ejus corpuscula, inaequabilia minusque marginata quam statu normali reperiuntur. Summi momenti est nimia bilis paratio, nec non secretio ejus prohibita in hepate, unde accumulatio principii biliosi in sanguine nascitur. Haud dubie in primaria cholosi pigmenta bilis in sanguine colliguntur; si bilinum, quod e sanguine venae portarum in ipso demum hepate formatur, in sanguinis massa inest, haud dubie resorptione bilis jam paratae eo deductum esse, patet.

Abundantia principii biliosi in sanguine substantiarum organicarum colorationem flavam efficit, non solum enim externa superficies, verum etiam partes internae, tam solidae quam liquidae, illo colore imbuuntur.

Altera mutatio gravis in eo est, ut hepatis volumen ad dimidiam, imo quartam, diametri partem redigatur; forma ejus discoidea evadit, involucrum peritonaeale corrugatur, substantia anaemiam portendit, color saturate flavus, viridiusculus, sordido aurantiacus apparet, parenchyma elasticitatis expers, compages granulosa extincta, partes singulae parenchyma constituentes non amplius distinctae. Verumtamen modificationes harum mutationum interdum occurrunt, ita ut volumen in genere parum diminutum, vel pars hepatis tantum corrugata inveniatur. Vesicula fellea mutationum organicarum particeps est, nempe corrugata, mucosa ejus rarefacta, fluido seroso infiltrata, bilis, quam continet, parca, decolor aut sordido viridiuscula, flavo cinerea, saepe spissa et mucosa. Ductus biliferi non raro contracti et vacui deprehenduntur.

Lien semper fere est tumefactus, saepe duplo vel triplo major, sanguine opulentus, ceterum rarefactus, emollitus, imo in pultem atropurpuream facile redigendus.

Encephalum saepius anaemicum, quam hyperaemicum, sero infiltratum, emollitum, nonnunquam pultaceum reperitur, quae mutationes frequentissime in regione septi, corporis callosi et eminentiae quadrigeminae conspiciuntur. Externa superficies tunicarum et medullae spinalis sero flavo saepe superfusa invenitur.

Glandularum mesaraicarum intumescentia cum relaxatione et anaemia consociari solet, cum alienatione organorum muscularium automaticorum, nec non parenchymatosorum, ut cordis, vasorum, renum, uteri, ovariorum, cet. conjungitur. Liquescentia, cujus supra mentionem feci, praecipue in tunica ventriculi mucosa observatur, quippe quae alienatio-

nem coloris et consistentiae exhibeat. Plerumque liquescentia locum exiguum tenet, interdum vero ad duodenum, oesophagum, imo ad uterum pertinet.

Inter mutationes minus constantes, sive accidentales, referendae sunt stases sanguinis et inflammatoriae affectiones pulmonum atque tunicarum serosarum, residua inflammatoria in venis abdominalibus.

Plerumque tantum atrophia flava hepatis acuta describitur, at vero Oppolzer chronicam quoque defendit, quam frequentiorem esse acuta, contendit.

Atrophia flava acuta rarissime est idiopathica et auctore Oppolzer ante pubertatem non exoritur, homines enim octo, apud quos eam observavit, inter vicesimum et quadragesimum vitae annum versabantur. Sive morbus subito sive praegressis prodromis exoriatur, motus febriles raro deficiunt, at vix reactionis erethisticae fines excedunt, postea autem saepius in torporem quam synocham vertuntur. Febricitationes, plerumque horripilationibus se manifestantes, quae aestu fugace excipiuntur, non raro saepius per diem accedunt; sunt tamen casus, in quibus febrilia symptomata tam exiguum tenent gradum, ut fere abesse videantur. Gravior febris apud homines juniores, validos, irritabiles intrat, aut si injuriae violentiores morbum intulerunt; his enim in casibus vere inflammatoria febris potest evolvi. Tempus, per quod febris protrahitur, certis finibus non terminatur, modo enim post aliquot dies desinit, modo per totum morbi decursum, vel majorem ejus partem, persistit; pulsus quod ad frequentiam, fortitudinem et plenitatem admodum variat, itaque certum indicium non praebet. Nonnunquam reactio febrilis conaminibus criticis, ut sudoribus, urina hypostatica, se-

dibus biliovis, haemorrhagiis, aliquamdiu mitigatur, vel reprimitur.

Symptoma nunquam deficiens icterus sistit, quem accumulatio principii biliosi in sanguine inducit. Saepe paulatim evolvitur, interdum vero cum symptomatibus impetuosis intra paucas horas irruit, primumque in tunica oculorum albuginea, tum circa labia, alas nasi, oculos et tempora animadvertitur, unde super thoracem et reliquum corpus magis minusque celeriter diffunditur. Color in universum flavescens, flavo viridiusculus, aut flavo fuscus apparet, interdum rubelli aliquid induit; ictero nigro seu melancholico, variegato, dimidiato, modo formae secundariae dyscrasiae biliosae conjunguntur. Icterum modo atrophiae flavae acutae constanter adjungi, Oppolzer affirmat.

Inter secretionum et excretionum alienationes, quas principii biliosi depositio infert, notatu dignissima est urinae mutatio. Initio lotium rubro purpureum, tunc atro-fuscum est, nonnunquam sordido viridescens, sub morbi finem sedimento furfuraceo, flavo, rubello, vel nigricante praeditum, facile putrescens, in superficie cuticulam opalescentem referens. Praeterea urina inter mictum spumat et odorem proprium dulciusculo-nauseosum edit; Cholesterinae interdum tanta copia reperitur in lotio, ut non amplius suspendatur, sed fundum petat et microscopio facile cognoscatur. Urina recens missa alcalinam reactionem, morbo decrescente autem acidam praebet, minus ureae quam statu normali, plus acidi urici continet; denique salia fixa urinae diminui solent.

Simili ratione alia secreta et excreta mutationibus coloris et mixtionis submittuntur, ut serum sanguinis, mucus bronchialis, vaginalis et uterinus, pus in abscessibus aut vulne-

ribus collectum, sudor, quo lintea flavo colore inficiuntur. Minus certo dirimi potest, utrum lacrymae, saliva, lac, semen easdem aut similes mutationes experiantur.

Contrariam indolem alvi excreta, inter secessum ardentia, exhibent, sunt enim albo flavida, cinerea, interdum marmorata, uno verbo argillacea, raro colore saturato aut luteo conspicua; plerumque odore specifico excrementorum hominis sani carent.

Consecutivis symptomatibus interponendus est cutis pruritus et anomala adipis formatio in tela cutanea exteriore; interdum pruritus decrescente demum morbo et redeunte bilis secretione exoritur.

Raris in casibus, nec nisi apud homines irritabiliores, quibus noster morbus celerrime supervenit magnumque gradum obtinet, xanthopsia exoritur.

Non solum digestionis organorum variae perturbationes, sed etiam flatulentia cum ventris doloribus morbum nostrum comitantur et dysphoriam, anxietatem, praecordiorum oppressionem secum ferunt, inprimis aliquanto post coenam. Hepatis ipsius dolor ut plurimum lobo sinistro, interdum loco perexiguo circumscribitur et modo sola pressione, modo tensione, modo ictibus fugacibus se manifestat; in casibus tantum gravissimis et mox lethiferis dolor continens et acerbissimus esse solet.

Coenaesthesis vario modo turbatur; accedunt enim capitis temulentia et dolor, agrypnia, dolorifica articulorum, interdum musculorum affectio, nonnunquam rigiditas, stupor imo perfecta anaesthesia. Nonnullis in casibus spirandi difficultates, praesertim nocturno tempore, oriuntur, quae pariter ac cordis palpitationes motu corporis unoquoque adaugentur.

Denique psychica etiam vita alienatur; aegroti inquiete, anxietate, morositate corripiuntur, ad iram, stomachum, malignitatem proni evadunt et raro aliorum hominum alloquiis obtemperant. Morbo ad exitum vergente, deliria, coma, angina faucium, nonnunquam haematemesis exoriuntur.

Quod ad atrophiam flavam chronicam pertinet, symptomata primaria et essentialia generatim eadem sunt, quae retuli, deficiente tamen febri et interdum ictero; decursus, id quod facile intelligis, in longius protrahitur.

Certi termini, intra quos processus choloticus evolvi et absolvi possit, constitui nequeunt, modo enim finitis prodromis desinit morbus, modo rapidissimum persequitur cursum, modo autem diuturnus evadit. Accidit etiam, ut haec dyscrasia biliosa per intervalla incerta discedat et recurrat, ergo periodismum quendam ostendat. Conamina critica certa huic morbo propria non sunt, nam sedimenta urinae, sudores, haemorrhagiae, etiamsi nonnunquam levamen afferunt, pro crisibus haberi nequeunt, quoniam essentialem morbi characterem non mutant. Eadem dicenda sunt de eruptione herpetis, miliarium, vel aliorum morborum cutaneorum, de restitutione secretionum vel excretionum suppressarum tam physiologicarum quam pathologicarum. Perperam nonnulli phlyctaenas circa os et labia emergentes esse putant criticas, plerumque enim gastricis vitiis originem debent. Sola excretio, in qua nonnunquam critici aliquid cerni videtur, alvi excretiones biliosae sunt, quippe quae aegrotos fere semper sublevent et a medicis arte juvari soleant.

Morbus primum exire potest in valetudinem, ita quidem, ut digestionis perturbationes et reactio febrilis, tum reliqua symptomata paulatim evanescant et vel sudores vel urina valde

hypostatica, vel excrementa intense biliosa edantur. Porro autem morbus noster in alias affectiones potest transire, quae partim individua corporis indole, vel causis efficientibus, aut morbosa corporis diathesi vario modo mutantur. Huc pertinent vomitus chronicus, ructus, praecordiorum oppressio, flatulentia, opportunitas ad neuralgias abdominales. Quodsi sanguinis dyscrasia summum attigit gradum, interdum febris exoritur biliosa, imo putrida, minime inflammationes hepatis et tunicae intestinorum mucosae, ut multi crediderunt; hae enim si superveniunt, secundariae tantum esse solent. Multo saepius atrophia hepatis flava, singulatim acuta, in mortem exit, imo Oppolzer semper eam lethalem esse dicit. Inducitur mors paralysi systematis nervorum cerebralium, quam symptomata cephalica comitantur, ut deliria, convulsiones, coma, extrema adynamia, sublatum inter nervos et sanguinem commercium vitale; nonnullis in casibus vitia consecutiva, ut emollitio aut liquescentia variarum telarum supra dictarum, vitam extinguunt.

Necroscopia haec nobis offert: universa hepatis tela colorem habet saturate flavum, bilis infiltratione inductum, praeterea ingens est relaxatio et marcor, defectus granulosae compagis et summa voluminis diminutio ita, ut praecipue diametros hepatis transversa minuatur, organonque maxime complanetur. Sanguis, quem in majoribus hepatis vasis, imo in vena portarum reperimus, liquidus est, sordido rufus, tunicae venae portarum bile infectae; praeterea sanguis ipse diminutus est et in toto interdum corde caret coagulo, nisi praecesserit pneumonia. In tubo intestinali saepe reperiuntur materiae saturate luteae, biliosae, interdum atropiceae, quas sanguinis decompositi transsudatio effecit.

Opus est, ut morborum mentionem faciam, qui propter majorem vel minorem symptomatum similitudinem cum flava hepatis atrophia possint confundi.

Haud raro color chloroticus aliquantum flavescit, attamen tunicae conjunctivae albedo margaritacea, inopia principii biliosi in lotio, symptomata quaedam consensualia, ut cordis palpitationes, susurrus felinus in arteriis, chlorosis diagnosin vindicant.

Majores etiam anaemiae gradus quandoque cum cutis flavedine conjunguntur, attamen defectus constans principii biliosi in secretis et excretis nos impedit, quominus utrumque morbum confundamus.

Dyscrasia carcinomatosa non raro comitem habet cutis colorem intense flavum; simul vero corporis macies exstat, vitium topicum certam tenet sedem et constantes mutationes supra descriptae, quae cholosin comitantur, deficiunt.

Phrenesia potatorum nonnullis in casibus cum cutis colore sordido flavescente accedit, at reliqua choleamiae symptomata desiderantur, ceteroquin hepatis volumen magis amplificatum quam diminutum invenitur.

Plus difficultatis diagnosis morbi typhosi aut dysenterici a cholaemia offert, si flavedo cutis adjungitur; plerumque enim his in casibus non promte dirimere possumus, utrum flavedo a cholosi simul vigente, an ab altero morbo derivanda sit.

Mutationes hepatis chronicae organicae plerisque in casibus a nostro morbo discernuntur eo, quod voluminis augmentum locum habet, accuratiore ventris exploratione eruendum, quem in finem non solum mensuratione et palpatione, sed etiam percussione utimur.

Singularem attentionem icterus meretur calculis biliariis inductus, quippe qui, si homines aetate juniores adgreditur, magna cum difficultate dignoscatur, praecipue si eaedem causae, quae primariam cholosin efficiunt, ut psychica momenta, antecesserunt, aut si status valetudinarius pristinus perfecte explorari nequit.

Discrimen autem in eo est, quod calculi biliarii inprimis homines aetate provectiores adgrediuntur, quod dolor vehementissimus, urens, colicis affectionibus similis, plerumque versus praecordia tendens, modo continet modo remittit, curvato corpore acerbissimus redditur, denique remediis demulcentibus interdum mitigatur, aut sua sponte subito desinit. Hisce cum doloribus musculorum abdominalium et totius corporis contractiones spasticae accedunt, cutis contracta frigidis tegitur sudoribus, pulsus indolem spasticam exhibet.

Atrophiae hepatis flavae aetiologia magnis adhuc tenebris obfuscatur; Oppolzer nullis in casibus certum detegere potuit causam, in tribus enim mera adfuit atrophia, in tribus typhus, in uno febris puerperalis, in uno carcinoma. Si autem momenta singula pervestigamus, sequentia plus minus ad morbum evocandum conferre videntur.

Quod ad vitae periodum attinet, aetas vegeta praecipue cholosi primariae favere videtur, raro enim morbus ante systematis sexualis evolutionem, raro post vicesimum quintum vitae annum apparet. Oppolzer hanc atrophiam octies observavit omnesque aegrotantium vitae annum vicesimum excesserant, summum vero quadragesimum attigerant.

Sexus vel nullam vel exiguam differentiam sistit, ita ut potior paulo frequentius tentetur sequiore, ceterum mulieres maturiore, viri magis provectiore aetate corripiuntur.

Constitutio et temperamentum non parvi sunt momenti, homines enim constitutione venosa vel atrabilari, temperamento irritabili impetuoso praediti prae ceteris morbo obnoxii sunt. Quum dicta constitutio et temperamentum a progenie ad progeniem hereditate propagentur, familiae etiam quaedam atrophiae hepatis flavae maxime obnoxiae sunt. Porro causis adnumerántur morbi praegressi, nervorum vitam deprimentes et sanguinis massam diminuentes, porro cum magna humorum jactura et vitiosa sanguinis mixtione conjuncti, ut anaemia, polyblennia, typhi et dysenteriae, saburrae gastricae diuturnae, neque minus repentina suppresio secretionum normalium vel habitualium, ut haemorrhoidum, fluoris albi, sudoris pedum, chronicorum exanthematum vel acutorum; denique nervosae affectiones, ut hypochondria, hysteria, cardialgia, neuralgiae abdominales, vomitus nervosus chronicus, febres intermittentes. Efficacitas dictarum causarum multo major est, si aegrotus jam semel aut saepius ictero laboravit.

Accusantur deinde multa medicamenta et venena, nempe emetica fortiora, purgantia drastica, emmenagoga et abortiva, (crocus) veneficium saturninum, abusus metallorum antiplasticorum, praesertim mercurii, eo magis si cahexia mercurialis existit.

Rationes telluricae et cosmicae ita agere dicuntur, ut aestas extrema et autumnus dyscrasiae biliosae magis faveant, quam reliqua anni tempora, praecipue si tempestas humido calida aëris electricitas exigua, aut atmosphaera effluviis organicis impraegnata est; repentina etiam tempestatis vicissitudo effectu damnifero non caret.

Vitae ratio haud dubie causis non infimis adnumeranda est; morbus enim noster iis maxime supervenit, qui vitae

irregulari, agrypniae aut lucubrationibus, nec non gravibus corporis exercitationibus sese tradunt, sub dio pernoctant, perfrigeriis se submittunt, cutis curam negligunt, potibus spirituosis, nutrimentis crudis, pinguibus, nitrogenio abundantibus, utuntur.

Affectus psychicos inter causas gravissimas esse referendos, omnes consentiunt, id quod Oppolzer etiam existimat. Hujus generis sunt ira, stomachatio, terror, sollicitudo, diuturna meditatio, curae, moeror, alia pathemata deprimentia. Psychicae affectiones eo facilius sanguinis mixtionem alienant, si cum nutrimentorum inopia, abstinentia spontanea, agrypnia consociantur. Utrum icterus, qui interdum parturientibus repente supervenit, a mechanicis an psychicis injuriis repetendus sit, nondum certo dirimi potuit. Neque minus in suspenso relinquendum est, num cutis flavedo, quae morsum animalium iratorum vel venenatorum sequitur, polycholica sanguinis mixtione, an alio adhuc incognito processu morboso efficiatur.

Denique mechanicae causae breviter memorandae sunt, nempe plagae vehementes, regioni epigastricae aut hepaticae aut capiti illatae, lapsus cum graviore corporis concussione, laesiones cerebri vel nervorum quorundam majorum, denique rudis neonatorum tractatio, exempli gratia capitis compressio inter partum difficiliorem.

Quodsi prognosin generatim intuemur, atrophiam hepatis flavam acutam semper lethalem, chronicam vero infaustam exhibere, fatebimur. Verum tamen varia momenta consideranda veniunt, quae jam sequuntur.

Homines juniores, evolutionis periodum nondum transgressi, nec non ii, qui ab involutione proxime absunt, gra-

vius periclitantur reliquis. Proclivitas ad animi pathemata vehementia, nec non magnus nervosae irritationis gradus reactionem impetuosam efficiunt et morbi decursum rapidiorem reddunt. Apud homines phlegmaticos, excessibus enervatos, male nutritos, ebrietati deditos morbus quidem tardius decurrit, sed processus pathologicus paulatim radices altiores agit, itaque difficilius evertitur.

Mulieres, imprimis hystericae, catameniis anomalis laborantes, decursum morbi celeriorem atque vehementiorem offerunt. Gravidae, quae mox post conceptionem in morbum incidunt, facilius incolumes evadunt, quam quae serius corripiuntur. Dispositio ad cholaemiam, quae hereditaria esse videtur, praedictionem semper ambiguam reddit.

Inter causas efficientes mali omini sunt laesiones capitis aut hepatis, praecipue si anxietas praecordialis, vomitus, pulsus suppressus, virium prostratio et convulsiva symptomata accedunt. Haud laetior sanationis spes apparet, si animi pathemata deprimentia diuturna, abusus spirituosorum, remediorum debilitantium, venenorum, prava vitae ratio morbum intulerunt. Altera parte minus periculi imminet, si menstrua, haemorrhoides, aliae secretiones normales aut habituales accidentalibus causis suppressae sunt, nam restituta secretione haud raro morbus decrescit, imo interdum tollitur.

Si phaenomena morbi intuemur, levem irritationem febrilem, quae brevi finitur, faustiorem existimare debemus, quam nullam, vel adeo torporem cum magno languore, dedolatione animoque maxime depresso. Hinc etiam modica pulsus pleni et duriusculi acceleratio melioris ominis est, quam maxima ejus retardatio, debilitas et irregularitas; melioris etiam turgor cutis, calor et transpiratio, quam laxitas ejus, corrugatio,

frigus, sudor profusus, glutinosus, foetidus. Flavedo cutis aequabilis majorem suppeditat spem, quam color sordido flavus, viridescens, fuscus, aurantiacus et inaequabilis. Periculum imminet, si magnus flavedinis gradus subito irruit, aut celeres vicissitudines subit, aut si repente evanescit, id quod rarissime evenire solet. Urina larga fusco rubra, quae inter leves febricitationes cum ardore quodam mittitur et sedimentum lateritium parcum dejicit, fausta habenda est, infausta autem turbida, livida, foetida, facile in decompositionem transiens, vel nullum sedimentum, vel parcissimum et lividum demittens. Alvus laetam pollicetur prognosin, si faeces pulticulares, flavo fuscae et modicae eduntur et naturalem excrementorum odorem spargunt. Imo diarrhoeae frequentes periculum non minantur, dum materiae faeculentae aut fluidae bilis pigmento tinctae secedant; perniciosae autem sunt diarrhoeae profusae, quibus materiae decolores acidulae, aut atro fuscae et dissolutae excernuntur.

Haemorrhagiae spontaneae et secretiones restitutae plerumque levamen afferunt, attamen indole colliquativa nocere possunt. Magnus hepatis dolor gravem hujus organi et nervorum abdominalium affectionem prodit, eo magis, si continuo ingravescit. Materiae biliosae vomitio, si morbo incipienti supervenit, vel modica persistit, infausta non est, pessima autem, si procedente morbo alia accedunt symptomata perniciosa ipsaeque massae vomitu ejectae cruentae evadunt. Inter symptomata perniciosissima convulsiones musculorum faciei, risus sardonius, motus manducatorii et tremor labii inferioris, cita mutatio vultus cum magna animi alteratione, pertinent. Pessima in universum sunt deliria, aliquanto meliora tamen furibunda et congestiva, quam blanda et murmurantia. Idem

de convulsionibus, quibus paralysis succedit, dicendum est, imprimis si stupor, coma, abolitio sensus et sublatum voluntatis imperium accedunt. Sanguis e corpore missus si coagulat, laetius praebet augurium, quam si in massam atrofuscam, mollem gelatinosam coit et serum ejus cuticula opalescente obducitur. Interest etiam, quem effectum remedia adhibita praestent, nam quo minus auxilii afferunt, eo magis de sanatione desperandum est.

Denique nemo est, quin intelligat, complicationes cum aliis morbis quibuscunque, imprimis cum typho, cum scorbuto, dysenteria, nec non combinationes cum secundariis mutationibus, ut hyperaemia pulmonum, malacia tubi intestinalis aliorumve organorum, prognosin funestissimam reddere.

Prout morbus vel simplex est vel complicatus, variae curandi methodi in usum vocandae sunt. Quodsi nempe universam cholaemiam, non solam atrophiam hepatis flavam, quippe quae pars tantum sit illius processus pathologici, accuratius intuemur, tres medendi indicationes, nimirum causalem, nosomaticam et symptomaticam exsequendas esse fatebimur.

Causali indicationi modo in iis casibus satisfacere licebit, in quibus una alterave causarum nocentium organismo continua detrimenta infert, ut saburrae gastricae, humorum jactura persistens, suppressio secretionum aut excretionum normalium vel habitualium, convalescentia tarda ex morbis gravioribus, vitae ratio prava, nec non psychicae affectiones.

Sordes primarum viarum vel emeticis vel purgantibus aptissime submoventur. Ipsa natura ad emeticorum usum invitare videtur, etenim aegroti perpetuo plenitudinis et tensionis praecordiorum sensu, nausea, sapore amaro, ructibus,

imo interdum vomitu spontaneo levamen afferente, tentantur. Ad evocandum vomitum optime inservit tartarus stibiatus, quippe qui non solum alvum promoveat, sed etiam tunicam mucosam viscerum abdominalium alteret. Sin diarrhoeae exstant, vel spasticae affectiones, vel torpor nervorum systematis, ipecacuanha tartaro stibiato praeferenda est.

Si alvum purgantibus solvi oportet, minus idonea sunt salia sulphurica, quia sanguinem magis liquefaciunt vitamque ejus deprimunt, quam salia tartarica, senna, rheum, nonnunquam jalapa, vel cum vel sine calomelane. Ubi intestinorum irritatio locum habet, eligenda sunt manna, olea pinguia, tamarindi.

Convalescentia tarda, quae universam anaemiam induxit, praecipue diaetam idoneam expostulat, cui adjungenda sunt medicamenta stomachica, tonica, roborantia, ut lichen islandicus, quassia, calamus aromaticus cum china, doses refractae radicis rhei, postea aquae medicatae, inprimis acidulae et martiatae, vini generosi modicae portiones.

Suppressae secretiones et excretiones suis instaurentur remediis; victus pravus, domicilia insalubria, immundities, vestitus malus mutentur, animusque curis vel aliis pathematibus agitatus erigatur.

Secundae indicationis est, turbatam inter nervorum et sanguinis vitam rationem compensare, anomalam sanguinis mixtionem, particularum biliosarum abundantia inductam, corrigere, functionem hepatis, utrique momento relato alienatam instaurare.

Quibuscunque in casibus spasticae affectiones, vomitus, spasmus cutaneus, modum non excedunt, ubi perfrigerium vel animi pathemata antecesserunt et reactionem modicam

excitarunt, balnea tepida cum fructu adhibentur; interne infusum florum chamomillae, herbae menthae, radicis valerianae, cum liquore ammonii acetici vel succinici et, si hysterica phaenomena exstant, cum tinctura castorei praebentur, quibus nonnunquam opiata leviora, aut refractae doses ipecacuanhae interponuntur. Depressa sensibilitas partim excitantibus remediis supra dictis, partim alterantibus, ut parvis tartari stibiati vel ipecacuanhae dosibus, reficiatur.

Inter medicamenta sanguinis mixtionem corrigentia principem locum acida tenent, primum quidem vegetabilia, ut acidum tartaricum, postea mineralia, ut hydrochloratum, phosphoricum, elixir acidum Halleri. Ad principia biliosa in sanguine neutralisanda, non parvi momenti est aqua oxymuriatica, quae minus adstringens, quam acidum sulphuricum et minus excitans quam hydrochloratum, vasa absorbentia, glandulas, tunicas mucosas et systema vasorum leviter incitat, imo diarrhoeis respondet.

Secretionis bilis restitutio, seu functionis hepatis instauratio, omnium indicationum gravissima est, quam eo modo exsequi studemus, ut nervorum abdominalium vitam alienatam in melius vertamus et motum intestinorum peristalticum acceleremus. Huic etiam scopo consentanea sunt purgantia, ita adhibenda, ut singulis diebus duae, tres aut quatuor alvi excretiones sequantur. Attamen non promiscue purgantia praeberi debent, sed modo nonnulla, prae omnibus rheum et si motus peristalticus non satis promovetur, folia sennae, sulphur, jalapa. Sin tubus intestinalis totaque vegetatio magno laborat torpore, summum remedium est aloe, inprimis extractum ejus aquosum, cui adjungi possunt extracta resolventia, ut taraxaci vel graminis, sapones, fel tauri.

Dosis ejusmodi sit, ut quotidie faeces pultaceae et bile tinctae bis vel ter ejiciantur.

Nocent vero omnia purgantia, quae modo intestinorum secretionem adaugent et humorum plasticitatem minuunt; multo minus mercurialium usus diuturnior commendandus est, imo adeo infrictiones unguenti mercurialis, si hepatis regio dolorifica est, maxime debent restringi.

Ad incitandum gangliorum systema torpidum praeter alia remedia ammonium muriaticum, gummata ferulacea, inprimis asa foetida, laudantur; clysmata ex asa foetida parata saepe saluberrima sunt. Quodsi principiorum biliosorum secretio e sanguine hisce rationibus non obtineretur, organorum secretoriorum vicaria actio excitetur oportet, exempli gratia renum, eo magis quod principia biliosa facile per renes eliminantur. Pro varia morbi conditione vel diuretica frigida, ut kali aceticum, cremor tartari, tartarus boraxatus, acida vegetabilia, aut calida, ut radix armoraciae, baccae juniperi, scilla, spiritus nitrico-aethereus, eligenda sunt. Diaphoreticis etiam uti licet, iis nempe in casibus, quibus morbus ad crises cutaneas pronus est.

Quaeritur tamen, utrum atrophia hepatis ipsa dictis remediis ad resolutionem perduci queat, id quod multi dubitant; nominatim atrophia acuta, ut supra adnotavi, teste Oppolzer vix iis cedit. Idem in atrophia acuta ut plurimum adhibenda esse dicit epithemata capitis frigida, locales sanguinis detractiones, clysmata cum aceto; cataplasmata et balnea tepida, si dolor regionis hepaticae adsit. In chronica autem atrophia commendari ut plurimum tradit purgantia, praesertim calomelas et jalapam.

Superest, ut symptomaticam indicationem exponam. Sym-

ptomata summas molestias aegroto inferentia esse solent vomitus continens, dolor hepatis inimicus, pruritus cutis intolerabilis.

Vomitus diuturnus qui saépe reperitur, plerumque nervosae indolis est et cum tanto nervorum gastricorum erethismo consociatur, ut ne blandissima quidem esculenta et potulenta sustineantur, sed brevi removeantur. Quibus vomitionibus ut occurramus, vel cataplasmata tepida cum additamento aromatico, vel sinapismi ad regionem epigastricam applicantur, interne potio Riveri, pulvis aërophorus, aqua selterana, glacies artificialis praebentur et in casibus pertinacioribus aliquantum spiritus sulphurico aetheris, tincturae opii, aquae laurocerasi, additur. Si vomitus, vel ructus tantum acidi, cum cardialgia conjuncti, originem ducunt ex acido libero, propter bilis defectum ad ventriculum congesto, remedia absorbentia impetrentur necesse est, nimirum magnesia carbonica et aquae alcalinae, tam nativae quam artificiales; magnesiae carbonicae parcae doses aromaticorum adjungi possunt.

Hepatis dolor vehemens, nisi complicatio inflammatoria locum habet, ex alienatione plexuum nervorum gastricorum repetendus est, et remediis externis sedantibus aut derivantibus, si non tollitur, facile demulcetur, ut caloris humidi usu continuo, fomentis narcoticis, cataplasmatibus emollientibus, insessibus aut balneis universalibus, sinapismis et emplastris vesicatoriis, aut cucurbitulis siccis; neque minus salutarem usum pollicentur unctiones abdominis ex linimentis aromaticis volatilibus, quibus opii praeparata vel oleum hyoscyami coctum admiscentur, aut emplastra ex aromaticis substantiis, ex asa foetida, galbano composita, adjecto opio vel belladonna.

Pruritus cutis inimicissimus saepe remediis omnibus re-

sistit, impugnandus tamen est balneis tepidis, quibus interdum sapones, natrum muriaticum, imo nonnunquam kali causticum, kali sulphuratum, acida mineralia, commode admiscentur; certo constat, haecce balnea plus utilitatis afferre aegrotantibus, quam simplices lotiones ex aqua et aceto tepidis, vel ex aqua chlorata oleorum pinguium infrictiones parvi tantum sunt momenti.

Sub finem opusculi de aegrotorum diaeta breviter disseram. Quamquam homines ictero laborantes in universum leve tantum ciborum desiderium habent, neque raro omnia nutrimenta, imprimis carnea, fastidiunt, tamen abstinentia strenua non semper commendanda est, nisi rebus singularibus exigatur. Saepe enim sunt materiae nutritiae, quae ventriculum et duodenum incitantes hepatisque consensum evocantes hujus actionem instaurant bilisque secretionem et effusionem in tractum intestinalem adjuvant. Verum tamen ciborum et potuum delectus minus aegrotantium desideriis aut cupiditatibus, quam morbi naturae accommodari debet. Quod ad alimenta pertinet, prae omnibus vegetabilia recentia salutifera sunt, olera succulenta, radices et bulbi multum sacchari continentes: rumex acetosa, nasturcium aquaticum, lactuca sativa, asparagus, apium graveolens, daucus carota, plurimae cucurbitaceae; neque minus poma matura, vel cocta; quodsi aegrotantes carnem appetunt, satisfacere quidem eorum desideriis licet, verum tamen carnem esse oportet recentem, ab animalibus junioribus desumptam, portiones ejus parciores; prostrata digestione, non ipsa caro, sed jusculum carnis, interdum addito vitello ovorum, exhibendum est.

Pro potu aegrotis offeratur aqua fontana recens, admixto vini pauxillo, vel aqua saccharata, lac ebutyratum, limonada,

infusum fructuum rubi idaei, decoctum pomorum siccatorum, potus aciduli omnis generis. Temperatura, in qua vivant aegroti, frigidiuscula sit, somnus non nimis diuturnus, corporis exercitationes modicae, ita ut fatigatio caveatur.

Cum somatico regimine consentiat psychicum; quaecunque animi pathemata exactissime vitentur, inprimis deprimentia; animus solatiis, sermonibus, librorum lectione exhilaretur.

VITA.

Natus sum ego Ludovicus Vladislaus Janicki Varsoviae anno h. s. XXV die XXX. mens. Januarii patre Stanislao, phil. doctore, matre Sophia e gente Malcz, quos deus maximus ut perdiu incolumes mihi servet, quotidie precor. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus gymnasium Varsoviense, quod sub auspiciis directoris Clar. Karwowski florebat, adii, absoluto cursu scholastico abiturientium examen sustinui et maturitatis testimonio munitus scholam juridicam Varsoviensem, nunc suspensam, per annum frequentavi. Interposito anno litterarum universitatem Lipsiensem petii, ubi ab Ill. E. H. Weber, rectore magnifico, inter cives almae litterarum universitatis receptus sum et per duo semestria hosce viros disserentes audivi:

Ill. Joerg de methodologia medica; Ill. Hartenstein de logice; Ill. Schwaegrichen de encyclopaedia historiae naturalis; Cel. Poeppig de zoologia, quem quoque corpora naturalia musei zoologici demonstrantem audivi; Cel. E. F. Weber de osteologia, syndesmologia, myologia; Ill. E. H. Weber de splanchnologia, de angiologia et neurologia, de physiologia, de generationis evolutionisque historia, de anatomia generali; Idem et Cel. E. F. Weber duces mihi fuerunt in arte cadaverum rite secandorum; Ill. Erdmann de chemia anorganica et organica; Ill. Kunze de botanice theoretica et practica.

Hinc Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Trendelenburg, t. t. rectore magnifico, in numerum civium academicorum et ab Ill. Hecker, t. t. ordinis medici decano spectatissimo, in album facultatis medicae inscriptus per quinque semestria hisce scholis interfui:

Ill. Mueller de anatomia comparata; Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. Weifs de mineralogia; Ill. Schoenlein et Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali et de laesionibus corporis humani; Ill. Schmidt de arte obstetricia.

Exercitationes clinicas et policlinicas medicas Cel. Wolff, Ill. Romberg et Ill. Schoenlein; chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. Juengken; obstetricias Ill. Busch frequentavi.

Praeterea Ill. Schlemm ad operationes chirurgicas; Exper. Traube ad auscultationem et percussionem privatissime me instituerunt.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis ac summopere colendis gratias ago semperque habebo quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus medicis nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Accedente uraemia ad morbum Brightii acutum, antiphlogosis strenua reliquis medendi methodis est praeferenda.
2. Typho curando methodus exspectativa optime respondet.
3. Non semper mens sana in corpore sano.
4. Crimina in lucido intervallo commissa sunt imputanda.
5. Atrophiae hepatis flavae symptomata saepe ita fallunt, ut certa diagnosis difficillima sit.